



1758

1648 13¹¹

2. F. F. 2. S.

GOTHOFREDI ANTONII, IC.
DISPUTATIO FEVDALIS XIII

De

**ACTIONIBVS
OB FEVDVM COM-
PETENTIBVS,**

Quam

Cum Corollariis ex Iure Publico,
ad ductum Institut. Per-Illustris Dn. de RHEZ
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

IO. SAMVELE STRYKIO

I.V.D. & Professore Publ. Ordinario,

D. XIX. Nov. A. O. R. MDCXCIIX

Placidæ disquisitioni publicæ submittit

GEORGIUS RVDOLPH BÖHM,

Vratislauenf.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

TYPIS CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, AC, TYP.



GOTTORFENSIS ANTONII
DISPUTATIO PVDALIS XIII

ACTIO IV
ORBIVM COM-
PENSATIONIS

Quam Carolus in sua Publico,
ad instructionem Per- Illustri Du. de RHEZ
IN ACADEMIA PRINCIPALIANA
RESIDE

IO SAMUEL ESTERKIO
I. D. & P. R. C. S. P. O. Q. D. M. O.

J. M. N. S. R. M. D. C. C. X. V.
Habeat dispensationem publicae fabricae
GEORGIVS RVDOLPH BOHM
Vindobonae

HAEC A. M. D. C. C. X. V.
TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE KELLERII, AUSTRIAE





COROLLARIA

Ex Institut. Iuris publici III. Dn. de Rhetz.

Lib. II. Tit. 26. seqq.

I.

Bellum inter Status Imperii tanquam civile reuera
illicitum est. Vsu tamen iuris publici quicquid bel-
lo tali occupatum, manet capientis, nisi quatenus
per tractatus pacis aliud placuit.

2. Insulae in flumine publico natae, non amplius vi-
cinis praediorum Dominis debentur: imo nec semper
Dominis vtriusque territorii, sed potius illi, ad cuius
territorium flumen spectat.

3. Regalia in alieno territorio competentia aesti-
mantur & vindicantur, secundum iura seruitutum pri-
vatarum.

4. Feuda Imperii, tam Ecclesiastica quam secularia,
hodie eodem loco aestimantur, & quod successio in se-
cularibus, hoc electio in Ecclesiasticis tribuit.

5. Praescriptionem immemoriam in regalibus si-
bi locum vindicare, vulgata sententia est, quae merito
temperanda, modo res sine vitio possideri potuerit.

6. Donationes Principum Imperii quantaecumque sint,
insinuatione non egent, sicut & ab his donata aequali ef-
fectu gaudent, quam si Imperator donasset.

7. Principes Imperii partem quandam territo-
rii, aut praefecturas, sine consensu Imperatoris alienare
vel oppignorare posse, ex vulgaribus I. F. Regulis
negari

negari quidem solet, sed praxis maiorem circa feuda Imperii libertatem hucusque comprobavit.

8. Coniuges Principum Imperii donata a maritis mox sua facere, verius censeo.

9. Testamenta Principum de allodiis, sustinentur, quidem sine solennibus, si inter liberos & subditos disponatur; sed si extraneus heres instituendus, rectius ad solennia iuris civilis recurrendum.

10. Princeps filium respectu Principatus exheredem scribere nequit, bene tamen in allodio.

11. Liberi Principum Fideicommissis grauati, pariter quam priuati, gaudent potestate duplicem quartam detrahendi, Trebellianicam scilicet & Legitimam.

12. Fideicommissa Familiarum Illustrium pro fauorabilibus reputantur & hinc non tantum testamento, sed & pacto constitui possunt. Inter Principes enim Imperii omnium fortissima successio est conuentionalis.

13. Pacta confraternitatis ergo nihil aliud sunt quam familiae fideicommissa, quae tamen cum ipsorum Principum translationem contineant, sine Imperatoris & Electorum consensu non sustinentur.

14. Filiae Principum & Statuum Imperii non elocantur, nisi iurato renunciauerint successioni paternae, staternaeque, eo ipso tamen non excluduntur a successione feudi masculis & foeminis concessi, si linea masculina extincta. Falsum enim est, foeminam semel a feudo exclusam, perpetuo manere exclusam.



DISPUTATIO FEVDALIS XIII.
DE ACTIONIBVS OB FEVDVM
COMPETENTIBVS.

THESIS PRIMA.

Promisso *a* nondum tamen constituto feudo, domino *b* vel vasallo *c* competunt actiones *d* ex causa qua feudi constitutio promissa est *e*, vt ex pacto *f*, contractu *g*, aut testamento *b*, vel ad promissum feudum constitutum, vel ad interesse præstandum *i*.

a) Generaliter & *καταχρηστικῶς* sumpto vocabulo, vt non tantum concessionem quæ fit inter viuos, sed etiam si testator in vltima aliqua voluntate rem vel suam vel alienam alicui feudi nomine relinquit, significet, quemadmodum illud accipiunt Doctores communiter, Wesemb. *c. 6. n. 6*. Vult. *lib. 1. feud. c. 7. n. 14. & 15.* Rosenth. *lib. 1. feud. c. 6. concl. 5.*

b) Aduersus vasallum, si hic ab illo rem suam propriam in feudum recognoscere promisit, vel heredem aut legatarium, cui in testamento a testatore res aliqua relicta est, vt is eam a domino in feudum recipiat, Petr. de Bellapertica *in summa feud. c. 6. n. 7.* Schrad. *de feud. part. 5. c. 5. num. 11.* Vult. & Rosenth. *dd. locis.*

c) Aduersus dominum feudi promissorem: debet enim hic non minus quam vasallus, promissiones suas per inuestituram adimplere, Vultei *lib. 1. c. 7. n. 13. & seqq.* Mozz. *de subst. feud. n. 38.* [Quas in sequentibus exponit autor diuersas actiones, eas etiam in feud. Imp. obtinere Itterus *c. 25. §. 2.* & ab eo citatus Lud. Hugo *de Statu Region. Germ. c. VI. §. 6.* docent.]

d) Quæ sunt vtrinque in heredes transitoria, etamsi heredum nulla sit facta mentio, *per text. c. 1. §. vlt. qui success. dare ten. 1. feud. 3. & arg. l. si pactum, ff. de prob. §. sub conditione test. de V. O. l. vn. C. vt act. ab hered. & cont. hered.* Borcholt. *c. 7. n. 22.* Hart. Pistor. *lib. 2. part. 2. quest. 24. 25. & 26.* Contra electiuos autem successores non dantur. *vide disp. 4. th. 5. lit. b.*

e) Nam negotium illud per quod feudum promittitur suam naturam retinet, & proinde actio ex eo competens pro cuiusque natura erit vel stricti iuris, vel bonæ fidei, Rosenth. *c. 1. concl. 4. n. 1. & 2.* vbi vide dissentientem Wesemb. *de feud. c. 1. num. 5.*

Rr 2

f) Vt



f) Ut si nudæ pactiones de infeudando sint factæ sine aliqua solennitate verborum, Petrus de Bellapert. *d.c. 6. Rosenth. de feud. d.c. 6. conclus. 5.* Diff. Mozz. *de substant. feud. n. 38.* Schrad. *p. 5. c. 1. n. 9.* Schneid. *p. 5. c. 2. n. 129.* Datur autem condictio ex moribus, *arg. l. 1. ff. de cond. ex lege.* Consuetudine enim receptum est, ut hodie omnia pacta, modo licita, inducant obligationem, & proinde actionem pariant, *Wesemb. in parat. ff. de pact. n. 9.* Io. Borch. *de pact. c. ult. n. ult.* [Conf. Dn. Parens *tr. de Caut. contr. Sect. II. cap. 5. §. 1.* & *in Vsu moderno Pand. tit. de Pact. §. 1.* ac ibi citati] & nominatim cautum inuenitur Iure Saxonico *Landr. lib. 1. art. 7.* Reinh. *p. 1. diff. iur. civ. 25.* & statuto Wirtemberg. *Fürstenthums Wirtembergisch gemein Landrecht p. 2. t. welcher Adelich zusagt.* Quam tamen condictionem non eam esse arbitramur, quam alias ex sententia interpretum ex contractu feudali oriri autumant, *Rosenth. c. 12. concl. 11. n. 14.* Duaren. *c. 18. n. 2.* Clarus *ad § feudum, qu. 89.* Mozz. *in tr. de feud. sub rubr. que act. oriatur, n. 4.* Sed quid si legitima pollicitatione promissio sit facta? nulla hic prodita est actio, sed officium iudicis implorandum erit, iuxta *l. 8. ff. de pollic. & ib. Wesemb. in parat.* nisi si quis pollicitatione feudum concedat Xenodochio, Nosocomio, vel Ptochio, tum enim condictio ex lege locum habebit, *l. si quis donauerit, 15. C. de Sac. san. Eccl. iuncta l. vn. ff. de cond. ex lege.*

g) Ideoque si promissum est feudum per stipulationem, actio ex stipulatu competit, *arg. l. inter stipulantem, 83. §. si rem quam, ff. de V. O. & princ. Inst. eod. Clar. d. qu. 89. in f.* Duaren. *de feud. cap. 18. n. 2.* Rosenth. *c. 12. concl. 11. n. 7.* Vult. *lib. 7. de feud. c. 1. n. 11.* Rittershus. *in part. feud. lib. 2. c. 8. qu. 5.* Si per emptionem, ex empto dabitur actio, *per l. ex empto, 11. in prin. ff. de act. empt. Wesemb. de feud. c. 17. n. 8.* Clarus & Rittershus. *dd. locis.* Quod si euincitur, hac eadem actione bonæ fidei emptori aduersus feudi venditorem succurritur. *c. 1. §. si vasallus feud. in f. si de feud. def. controu. 2. F. 26.* Schenck. *n. 2. c. 1. in pr. vers. nos autem, ibi, emptori bonæ fidei, de prohib. feud. alien. per Frid. Caccialup. in rep. cap. 1. de feud. cogn. rubr. de diff. iur. feud. & civ. diff. 8.* Wurmbf. *tit. de feud. obs. 6.* Malæ fidei vero emptor hoc beneficio carebit, nisi de euictione præstanda nominatim conuentum sit. *c. 1. vbi Dd. de inuest. ae re alien. fa. l. si fundum, 27. C. de euiction.* Imo ne tum quidem, si feudum alienari prohibitum emerit, *cap. 1. vers. si quis vero, verb. pretio ac beneficio se cariturum agnoscat.* vbi gloss. Beluis. & alii, *de prohib. feud. alien. per Lotbar. Curt. iun. d. loc. n. 119.* [In genere dicendum cum Ludwel. *p. 358.* illum qui scienter rem feudalem emit, non posse agere ad euictionem, etiamsi de hac sibi expressa conuentione prospexerit]

spexerit.] Quod si vasallus in emendo feudo ultra dimidium læsus est, ei l. 2. C. de resc. vend. subuenitur. vide Ros. c. 9. concl. 34. n. 14. & conclus. 63. per tot. vbi in lit. d. refert dissent. quamuis ea alias in feudo constituto non habeat locum, Schrad. p. 1. qu. 3. n. 22. Diss. Ar. Pinell. ad d. l. 2. part. 2. c. fin. num. 23. Nisi vasallus res feudales locauerit, & hac locatione alterutra pars læsa sit ultra dimidium, Rittersh. d. loc. qu. 28. & 29. Diss. Schrader. p. 1. qu. 3. num. 23. Si per donationem, conditio ex lege locum habebit, Nov. 162. c. 1. §. & sancimus. si vero per cambium seu permutatiouem, præscriptis verbis agi poterit. arg. l. 4. C. de rer. permut. l. 1. §. 1. ff. d. t. & l. 5. §. 1. de præf. verb. Rittershus. d. loc.

h) Testamentaria nimirum actio directa, si alicui testamento relicta sit, sin vero codicillo vel donatione mortis causa facta concessio, utilis ex testamento institui potest, arg. §. nostra autem, vbi gloss. in verb. personalis. Inst. de legat. & l. huiusmodi, § 4. §. ult. & ibi gloss. in verbo persona, de leg. 1. Pet. de Bellapert. d. c. 6. Mynsing. cent. 5. observ. 61. Datur quoque hoc casu actio hypothecaria. l. 1. C. commun. de legat. & fideic. §. nostra autem Inst. de legat. sed non rei vindicatio: quia feudum solo testamento, antequam inuestitura accedat, non constituitur. c. 1. quib. mod. feud. constit. Hotom. in feud. disp. c. 34. Rittersh. d. c. 8. q. 5.

i) per l. stipulationes non diuiduntur. ff. de V. O. Duaren. c. 18. num. 4. Schrad. p. 5. n. 129. Mynsing. cent. 4. obs. 61. Borcholt. c. 9. n. 12. Schrad. p. 5. n. 10. & seqq. Rosenth. c. 6. concl. 6. n. 8. Diss. quoad pacta Aluarot. in c. 1. §. fin. de nov. form. fid. Mozz. de subst. feud. n. 78. Qui existimant promissorem hoc casu ne ad interesse quidem teneri; quoad contractum emptionis & venditionis: ex Mart. antiq. gloss. ad l. 1. in pr. de act. empt. Borch. membr. 1. c. 7. n. 9. & alii. præcise traditionem rei emptæ requirentes, quos vide apud Ros. d. loc. in gloss. ad lit. f. [Quorum sententia etiam verissima est, nam qui ad rei traditionem obligatur, non liberatur præstando interesse vide Struv. c. 8. th. 9. n. 19. nisi forte Dominus facultatem tradendi non amplius habeat. vid. supra D. IV. th. 9. lit. b.]

II.

Quod si constitutio feudi per inuestituram subsecuta fuerit, actione beneficiaria ex feudo promanante a, vasallus & dominus b, sibi inuicem regulariter tenentur c, ad præstationem eius, ad quod vi contractus illius feudalis sunt obligati d.

Rr 3

a) Con-



a) Contractus enim feudalis, cum sit nominatus, propriam & nominatam actionem producat, necesse est. *arg. l. 1. & 2. ff. de præscr. verb. Bart. ad l. vn. ff. de cond. ex lege. Caccialup. ad c. vn. de feud. cognit. p. 5. num. 4. & 5. Oldendorp. cl. 5. post. act. 17. l. de act. benef. in pr. [Conf. Struv. c. 8. th. 4.]* Diss. Dd. variè, quidam enim autumant simpliciter actionem ex moribus inde enasci *Ias. in præludiis feud. n. 35. & 36. Schrad. de feud. p. 2. c. 5. n. 26. Ros. c. 12. concl. II. n. 25. quæ à Duareno c. 18. actio ex lege dicitur; quidam vel conditionem ex lege, vel actionem præscriptis verbis, ex hoc contractu oriri statuunt. Bald. in l. fin. quest. 1. C. quando lic. ab empt. disc. Ferrarius lib. 5. de vsib. feud. c. 3. S. in conueniendo Borch. de feud. c. 9. n. 14. vers. agit autem Vigel. in metodo iur. feud. c. 3. Quidam verò ante traditionem feudi vasallo etiam hoc casu eandem competere actionem tradunt, qua feudum ante inuestituram peti potest. Boc. clas. 4. disp. 18. th. 6. Rittershus. d. c. 8. q. 14. Est autem hæc actio personalis: nascitur enim ex contractu, ideoque non competit nisi contra eum qui ex eo contractu est obligatus. Dissen. videtur Ros. c. 12. concl. 12. n. 4. & concl. 13. n. 3. Bonæ fidei Duren. c. 19. num. 4. Oldend. d. clas. 5. post actionem 17. de act. benef. loc. 12. Dissen. Rittersh. d. c. 8. q. 2. Wesenb. c. 1. n. 8. & 9. vers. verius igitur. Vigel. d. meth. feud. 6. q. 3. reg. 4. Vtrinque directa: ab vtraque enim parte non occasione contractus, sed ex ipso contractu nascitur, c. vn. de inuest. de re alien. fact. 2. F. 8. c. vn. qui success. tene. feud. dar. 1. F. 3. quod de conditione ex moribus, quam in huius locum substituunt Dd. communiter, affirmat Schrad. part. 9. part. pr. 2. sect. 9. n. 34. Ros. c. 12. conclus. 13. n. 3.*

b) Vel illorum successores, cum sit rei persecutoria, *arg. t. Inst. de perp. & temp. act. c. vnic. qui success. feud. dar. tene. 1. F. 3. c. vn. qui suc. ten. 1. F. 9. c. vn. de cler. qui inu. fec. 2. F. 35. c. vn. de eo qui sib. & here. su. 2. F. 17. c. vn. de success. feud. 2. F. 95. c. vn. per quos fiet inuest. 2. F. 3. Duar. c. 18. num. 5.*

c) Nam si inuestitura stipulatione interueniente aliquid est promissum, actio ex stipulatu datur ad præstandum illud. *arg. princ. inst. de V. O. & l. inter stipulantem, 83. S. si rem quam. ff. d. tit. iunct. c. 1. in fin. in quibus causis feud. amit. 2. F. 23. & c. 1. in fin. de Cap. qui cur. vend. 2. F. 51. Duar. c. 19. F. n. 1. gloss. in d. c. 1. de Cap. qui cur. ven. Vult. d. lib. 2. c. 1. n. 17. vel si conventum est vt certis casibus vasallus feudum amittat, aut dominus proprietate careat ad illius finitæ restitutionem, ad huius verò cum ipsa feudi possessione consolidationem, per ea quæ tradit Ros. c. 10. concl. 40. in fin. & c. 12. concl. 13. n. 31. Hinc quaritur quænam actio competat si ipsi inuestituræ pactum*

pañtum obligatorium in continenti sit adiectum? nos contra Bocerum in *Clas. 4. disp. 18. tb. 12. lit. c.* hanc ex feudo hoc casu dari actionem statuimus. *argum. l. 16. ff. de in diem add. l. 4. in pr. ff. de lege Corn. l. si sterilis, 21. § si tibi feudum, ff. de act. empt. l. qui feudum, 75. l. fundi, 79. de contrah. empt. Dd. communiter. Rittersh. d. c. 8. q. 14.* Ex quo liquet beneficiariam hanc feudi actionem non solum ex feudo proprio, hoc est, quod communem feudi rationem, *c. 1. §. ult. quid sit inuest. 2. F. 2.* vel propriam feudi naturam habet atque retinet, *c. 1. de natura feudi, 1. F. 7.* promanare, sed etiam ratione improprii feudi, hoc est, quod aliqua ex parte à communi feudorum natura per ius aut pactum aliquod speciale recedit, competere, per ea quæ eleganter tradit *Ros. d. c. 10. concl. 40. n. 24. & 25.*

d) Quæ autem hac contineantur obligatione, *supr. disp. 7. & 8.* satis copiose est explicatum.

III.

Postquam vero iam acquisitum est feudum *a*, vasallus *b*, ratione domini acquiriti vtili rei vindicatione *c* seu actione publiciana *d*, item confessoria & negatoria *e*, finium regundorum *f* & similibus *g* vti poterit. Quibus etiam feudo per successionem delato non male petitio hereditatis *h*, actio ex testamento *i* & familiæ heriscundæ *k* annumerari posse videntur.

a) Per rei traditionem scilicet, successionem, præscriptionem, de quibus acquirendi modis vide *supra disp. 5.* Nam ante acquisitionem feudi nulla rei vindicatio vasallo competit, ea enim sine vtili vel quasi dominio locū non habet *per L. in rem ff. de R. V. Ros. c. 12. concl. 11. n. 24.* nisi excisione a domino facta *per l. si. C. de hered. vel act. vend. & facit. gl. adl. ad eum, ff. de don.*

b) Vel eius heres, non quatenus is heres est, sed quatenus idem ius feudi habet. *l. 12. §. ult. ff. ad exhib. & l. his solis. C. de reuoc. donat. Ros. d. c. 12. concl. 11. n. 39. & duob. seqq. Rittershus. d. loc. q. 2. circa fin.* adeo autem vasallo hæc actio competit, vt si is cum domino in re feudali concurrat, in auocatione feudi à tertio possessore præferatur, *Borcholt. d. c. 9. n. 1. Schrad. d. p. 9. c. 7. n. 81, Hartm. Hart. lib. 2. obs. 13. n. 3. & seqq. Ros. d. concl. 12. n. 3. Diss. Ioan. Ferrar. Montan. libr. 5. c. 3. [Ludw. p. 410]*

c) Directam enim vindicationem, quæ soli domino proprietatis datur, *l. 23. in prin. ff. de rei vind.* non habet. Valet autem hæc in effectu idem quod directa, ideoque competit aduersus quemcunque possessorem, siue de-

detentorem rei feudalis, *c.1. §. rei autem, de inuest, de re al. fact. 2. F. 8. & ibi Dd. omnes. Curt. iun. p.1. q.10. Zas. p.6. n.37. Ias. in prelud feud. n.35. Petr. de Bell. pert. c.14. n.3. Wes. c.17. n.8. Moz. de feud. rub. qua actio oriatur ex feud. n.3. Iulius Clarus in §. feudum, q. 89. Hartm. Hart. libr. 2. obs. 12. etiam dominum ipsum, si is fortè possessionem rei feudalis nactus fuerit, per text. in d. c.1. §. rei autem, ibi: a quolibet possidente, de inuest. de re alien. facta. & c. vn. de controu. inter vas. & ali. 2. F. 43. Schrad. p.5. c.6. n. 81. Schneid. p.1. n.27. & p.4. n.60. Vult. de feud. lib. 2. n.13. Clarus. d. qu. 89. [Formulam huius actionis suppeditat Dn, Schwendendörfer c.2. de Act. M. 6. Sect. 2.] Sed hic quæritur, an etiam contra horum heredes competat? & respondendum est, dari contra eos, non quatenus heredes, sed quatenus possessores *l. si in rem, 42. ff. de rei vindic.* Rittershus. d. c. 8. q. 2. Ad id, vt rem, quam iure feudali possident, sibi restituant, cum omni causa, *arg. l. Iulianus, 17. l. praterea, 20. & l. que restituere, 86. de rei vindic.* Cæterum quid vltius in hanc actionem veniat, partim ex præcedenti disp. q. partim ex iure communi, cuius naturam hæc quasi vindicatio rei feudalis retinet, peti debet: vbi tamen notandum, quod si feudum in pluribus pertinentiis consistat, id non aliter vindicabitur, quam si vniuersitas corporum esset, per *l.1. §. vlt. l. 2. & l. 3. de rei vind.* vide de hac re Bart. Camer. in comm. ad c. imperialem, de probib. feud. alienat. per Frid. p.150. in edit. Francof.*

d) Si vasallus, qui est bonæ fidei possessor, non habet causam & ius a domino, sed ab alio quem dominum esse putabat opinionis errore. *argum. §. sed iste 3. Inst. de act. Ros. c.12. concl. 12. n.5.* quæ tamen non competit aduersus verum dominum, per *l. 16. & 17. de publ. act.* Rittershus. d. quest. 2. [Imo si Dominus prius feudum ipse constituerit, & postea illud sine titulo possideat, haut dubie contra eum actio publiciana institui potest. Cum ius domini directi hac ipsa non interuertatur: Sed Vasallus dominium tantum vtile vindicet; Cuius iniustus possessor est Dominus.] Sed aduersus extraneum, *l. 1. in pr. l. eum qui, 8. ff. de publ. in rem act.* Schrad. p. 2. p. pr. 9. sect. 9. n. 40. Quo casu ex hodierna consuetudine potest cumulari cum rei vindicatione, Ros. c. 9. conclus. 100. n. 8. qui ibi ex communi Dd. opinione consultius esse putat hac Publiciana actione experiri, quam rei vindicatione. Sufficit enim in ea, vt actor titulum & possess. probet. per *l. 1. de publ. in rem act. & §. namque, Inst. de interd. Oldend. class. 3. act. 3.*

e) Ob ser-

e) Ob seruitutes feudo competentes aut non competentes. *d. c. 1. §. fin. autem, de inuest. de re alien. fact. 2. F. 8. & arg. §. hic est. Inst. de act.* Borch. *c. 9. n. 3.* [Non enim hæ confundendæ cum vtili Rei Vind. vti contra Vulteiū recte cum Rittershusio asserit Ludw. *p. 414.* Add. Birsch. *ad 2. F. 8. p. 257.*]

f) Aduersus extraneum vel dominum vicina prædia rustica, *arg. l. 2. in pr. & l. 4. §. hoc iudicium, ff. finium regundorum*, aut confines agros velligales habentes, aut fructuarios fundos possidentes, *d. l. 4. §. fin. regund.* ad id, vt fines seu termini agrorum confinium ad suam rectitudinem redigantur. *d. l. 2. §. 1. & tot. tit. ff. & C. finium regund. & interesse, quod in perceptis & expensis consistit, præstetur. per l. 4. §. 1. & §. 2. ff. fin. regund.* Ros. *d. c. 12. concl. 12. n. 22.* vide quoque Menoch. *in tract. retin. poss. rem. 3. n. 190.* Schrad. *p. 10. sect. 1. n. 180.*

g) Quæ aliis iure ciuili tale dominium habentibus, vt emphyteutæ, *l. 1. 2. 3. ff. si ager veftig. superficiario, l. 1. 2. de superficieb.* Duar. *de feud. c. 18. n. 1.* Borch. *c. 9. n. 1.* Ros. *d. concl. 12. n. 1.* dantur, vt est actio communi diuidundo, aduersus conuasallum pro feudo com. diuid. *arg. l. 4. ff. comm. diuid.* Ros. *d. c. 12. conclus. 12. n. 23. & 108. cum seqq.* Ex lege Aquilia, ratione damni in feudo dati. *arg. l. cedere. §. fin. ff. arbor. furt. cas. & ibi glos. Iaf. in prælud. F. n. 42.* Eberhard. *in top. legal. loco ab emphyt. ad feud. n. 8.* Schrad. *de feud. p. 10. sect. 6. n. 107.* Arborum furtim cas. non aduersus dominum, sed extraneum, arbores seu vites in re feudali cadentem, *per l. 3. & l. 5 §. fin. ff. arbor. furt. casar.* Est enim famosa, *argum. l. 1. ff. qui notantur infam.* quæ in dominum non datur. *c. 1. de forma fidelit.* Ros. *d. c. 12. n. 23.* Concurrunt cum ea actio furti, si lucri faciendi causa arbores casæ, item ad exhibendum, item ex locato, si colonus cadat. *l. 9. d. tit.* Item iniuriarum, si non lucri, sed damni tantum inferendi causa id factum sit. Wesenbec. *in parat. d. tit. n. 6.* Actio commodati, ad repetendum feudum propter bellum vel aliud periculum imminens domino commodatum. *argum. l. 9. §. inter commodatum. ff. commodi.* Schrad. *p. 10. sect. 5. n. 80.* Actio depositi, non tantum contra sequestrum, *l. apud quem, §. in sequestrum, ff. depos.* Schrad. *p. 10. sect. 6. n. 77.* sed etiam aduersus simplicem depositarium, qui rei feudalis custodiam in se recepit, per ea quæ tradit Gœd. *ad rubr. tr. de seq. n. 7. & seqq. & ad l. 90. n. 30. ff. de V. S.* Dissen. Schrad. *d. loc. n. 74.* vbi plures vide. Nunciationis noui operis, competit enim hæc cuique, ad quem iure domini res pertinet. *arg. l. 1. §. pen. ff. de nou. oper. num.* Oldend. *clas. 3. act. 7. loco. 3.* Aduersus eum qui in feudo ædificare vel opus facere attentavit,

vit, cui nullum ibi ius competit. Quod si vasallus nunciare nolit, domino feudi illa conceditur. Rittershus. *d. c. 8. quest. 24.* Actio ex lege diffamari. *C. de ingen. & manumiss.* tam aduersus dominum feudum amissum esse iactantem, Schrad. *2. p. 1. part. pr. 9. sect. 13. num. 112.* quam aduersus alium possessionem feudi ad se spectare proclamantem. Mynsing. *cent. 3. obseru. 78.* Schrad. *p. 10. sect. 1. num. 72.* Rosenrh. *c. 10. conclus. 40. n. 16.* Ad quid porro hæ actiones dentur, & quid in eas veniat ex iure communi, vnde oriuntur, sumi debet, *arg. c. 1. de feud. cog. 1. F. 2.*

h) Quod de feudo absolutè hereditario accipimus, siue illud sit in testamento directo, vel per fideicommissum, aut ab intestato relictum. Ros. *c. 7. concl. 6. 7. 8.* Iacob de S. Georg. *in verb. & cum pacto quod de ipso. n. 7. & 8.* Dissen. *Dd, commun.* indistinctè ob feudum hereditarium hanc actionem competere docentes, quos vide apud Ros. *d. loc.* [Quorum argumenta refellit, adductis pro sua sententia Autoribus, Ludw. *p. 414.*] Nam alias feudum per se non venit in petitionem hereditatis, nisi cum vniuersitate Wesenb. *in par. ff. de heredit. pet. n. 11.* Laudensis *c. 1. in pr. n. 5. de success. feud.* Iacob de S. Georg. *in verb. & cum pacto. quod de ipso n. 7. & 8.* Rittershus. *c. 8. n. 31.* Diss. Schneid. *in §. actionum. supr. rubric. de pet. heredit. n. 54.* Inst. *de act.* quem sequitur Niel. *in disp. 9. corollario.* & Bocerus *claf. 4. disput. 22. thes. 42.* Qua ratione etiam extraneus, quatenus se fundat in possessione defuncti tempore mortis habita, feudum ab alio extraneo petere potest, *per l. 3. C. de edicto diu. Had. toll. Io. Schneid. in §. actionum, n. 54. Inst. d. act. Mozz. de feud. Inst. de natural. feud. n. 106.* Sed quibus remediis vtendum erit, si per petitionem hereditatis, feudum per successionem deuolutum vindicari nequit? & tunc rei vindicationem ob dominium quod ipso iure in successores vasalli transit, vasallo competere arbitramur, per ea quæ tradit Rosenthal. *d. cap. 12. conclus. 11. num. 39.*

i) Si nimirum in testamento institutionis vel legati titulo licitè vasallo feudum est relictum, §. *nostro autem. instit. de leg. vbi Dd.* puta feudum absolutè hereditarium, *c. 1. de feud. non habente propriam naturam. 2. F. 48. & ibi Dd. communiter.* Curt. iun. *p. 3. in. 2. memb. n. 62. & seqq.* Borch. *c. 8. n. 76.* Schrad. *p. 7. c. 2. n. 72. cum. seqq.* Vult. *cap. 9. n. 74.* Aut feudum quodammodo hereditarium, vel ex pacto & prouidentia, cum consensu eorum quorum interest, per ea quæ tradit Rosenthal. *cap. 7. conclus. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.*

k) Vtilis: directa enim locum habere non videtur, nisi in mere heredita-

reditario feudo: Datur autem hæc ad illius imitationem. Successores enim in iure feudali passim vocantur coheredes, præsertim *in c.1. culpam vnius ex cohered. 2. F. 78.* quibus actionem familiæ eriscundæ competere plus quam manifestum est. *l. 2. 3. ff. fam. erisc.* quamuis iudicium com. diuidendo magis huc quadrare videatur. *per l. 4. ff. comm. diuid.*

IV.

Præterea vasallo quoque ratione feudi acquisiti *a* interdicta tam adipiscendæ *b* quam retinendæ *c* & recuperandæ *d* possessionis competunt.

a) Nam promisso seu constituto duutaxat feudo nullum datur interdictum, Niell. *disp. feud. 9. th. 11. lit. f.* Diff. Gail. *lib. 2. obs. 152.* Schrad. *p. 5. c. 2. n. 26.* nisi testamento vel vltima voluntate relictum sit feudum, nam tunc si pro adipiscenda eius possessione interdicta esse possunt, & ea his competere arbitramur, Rosenthal. *cap. 12. concl. 11. n. 23.*

b) *c. 1. §. inter filiam, si de feudi defuncti contentio fuerit, 2. F. 26. c. 1. §. si contentio fuerit de cap. qui cur. vend. 2. F. 51. Sch. p. 7. c. 7. num. 22. Vult. c. 2. lib. 2. c. 1. n. 15.* Et quidem remedium *ex l. vlt. C. de edict. D. Andr. roll.* conceditur non solum agnato, Ros. *c. 12. conclus. 12. n. 31.* sed etiam filia a parte, vel sorori a fratre in testamento instituta, vt hæc mittantur in possessionem bonorum feudalium, quæ a patre vel fratre possidebantur, etiam domino aut agnatis inuitis. Men. *remed. 4. adipisc. pos. n. 375. & 378. Vult. lib. 2. c. 1. n. 24. Rosent. c. 7. concl. 48.* Sed & si agnati possessionem præoccuparint, nihilominus filia illis remotis erunt immittendæ Rosent. *d. c. 7. conclus. 49.* Diff. Schonerus *lib. 2. disp. 1. th. 50.* Hart. Pilt. *lib. 2. q. 39. n. 37.* nisi liquido constet rem esse feudalem. Men. *rem. 4. adip. pos. n. 381.* Hartmannus Pilt. *lib. 2. q. 38. n. 35. Fach. 4. conc. 22.* Diff. Rosent. *c. 7. concl. 51. in prin.* Quod etiam ad reliquas transuersalis lineæ fœminas, imo etiam ad extraneam personam, extenditur. Menoch. & Vult. *dd. locis Rosent. d. c. 7. n. 50.* Interdictum quorum bonorum, quod datur filio vel agnato ab intestato venienti, *c. 1. si de feud. def. controu. est, vbi gloss. per l. fin. C. quorum bonor.* Rosent. *c. 12. conclus. 12. n. 31.* tam aduersus extraneum, quam dominum ipsum; non vero vasallo agnato aduersus filias, sorores, aliosque heredes. Rosent. *d. loc. n. 32. & seqq.* Imò his personis propter præsumptionem bonorum allodialium, hoc interdicto quorum bonorum vel officio iudicis, quod instar adipisc. possessionis est, vt late tradit Menoch. *6. rem adipisc. possess.* aduersus dominum vel agnatum succurritur. Hart. Pilt. *lib. 2. quest. 39. n. 8. Vult. lib. 1. c. 9. n. 51. Rosent. d. c. 7. n. 50.* Ita tamen, vt



si in pari gradu sint foemina & agnatus, illa huic æquanda, si in proximiore vero est foemina, agnato in remotiori gradu constituto præferenda sit. Rosent. *c. 9. concl. 49.* An autem foeminae feudum foemineum esse prætendenti hoc interdicto contra agnatum possidentem sine vitio subueniatur, inter Dd. non constat, ut videre est apud Hart. Pist. *lib. 2. q. 39. n. 32.* & Menoch. *d. rem. adipisc. poss. 4. n. 379.* Nos ei cum Rosent. *d. c. 7. concl. 49. § n. 4. & concl. 51.* hoc beneficium nisi in continenti intentionem suam probauerit, ex theorica veritate denegamus. Sed præterea hic quæritur, an foemina ratione meliorationum & fructuum interdicto adipiscendæ expectari possit? & videtur quidem Rosent. *c. 7. concl. 54. n. 8.* habita æquitatis ratione non male statui posse, quod hoc casu officium iudicis locum habere possit: nobis tamen, propterea quod nusquam in iure tam civili quam feudali id cautum reperiatur, contrarium magis placet.

c) Ut est interdictum vti possidetis, quod datur vasallo possessori in possessione sua turbato Menoch. *rem. 3. ret. poss. n. 80. 81. 82. 83.* Schwan. *de process. Cam. lib. 2. c. 18. n. 34. & 35.* [Lud. Postius *tr. de Manutenentia obs. 16. n. 6. & 7.* Idem interdictum & in feudis Imp. obtinet Decker. *Relat. Cam. IV. n. 13. seqq.*] Item filio vel agnato vasalli vel defuncti ante inuestituræ renouationem possessionem apprehendentibus, ut ex Wesenb. *cons. 41. nu. 26.* tradit Rosent. *c. 12. conclus. 12. n. 38.* ut & foeminis ex testamento vel ab intestato in possessione constitutis, tam aduersus extraneum, quam ipsum dominum *c. 1. v. si vero vasallus de milite vasallo qui contumax. 2. F. 27.* Borch. *c. 9. n. 18. cum duob. seqq.* Ros. *c. 7. concl. 48. n. 3. lit. c.* [Rutg. Ruland. *de Commissar. P. 3. t. 3. c. 19. n. 13.*] vbi in Camera Imperiali contra dominum in simili casu pronunciatum fuisse, & adhuc obseruari, ostendit. *§ concl. 51. num. 7. & c. 12. conclus. 12. n. 38.* Item interdictum de itinere actuque privato, quo experitur is, cuius feudo vicinus fundus iter vel actum debet, si ab illius fundi domino eiusmodi iure vti prohibetur. *arg. l. 1. & tot. tit. de itin. act. priv. facit c. 1. §. regio autem, de inuest. de re alien. fact. 2. F. 8.* Item interdictum quod vi aut clam, quod datur vasallo aduersus quemlibet, qui vi aut clam in feudo quid fecit, aut fieri curauit, *l. 5. hac verba, & §. seq. l. 6. l. deniq. 13. §. fin. ff. quod vi aut clam.* & similia. Et huc quoque remedia, quæ ex nouissima constitutione Imp. pro retinenda possessione immediate imperio subiectis dantur, referenda sunt, ex constitutione scilicet pignorationis, arrestorum, litigiosæ possessionis, & similibus; hæc enim remedia pro retinenda possessione vel quasi, vasallis competere, eisque ratione feudorum mandata in Cam. Imp. quotidie decerni testis est Rosent. *d. c. 12. conclus. 12. n. 44. & 45.*
qui-

quibus etiam licet mediate imperio sint subiecti, nihilominus domino, qui Imperio immediate subiectus est, vna cum ipsis supplicante, succurritur, vt post Gail. lib. sing. de pign. obs. 6. n. 1. & seqq. statuit Rosenth. d. l. num. 46.

d) Potest enim vasallus spoliatus interdicto vnde vi vel canone redintegranda. caus. 3. q. 1. vel similibus vti, arg. c. 1. §. si vero, de milit. vas. qui contumax est, 2. F. 22. Rosenth. c. 12. concl. 12. n. 24. Cuiac. libr. 2. F. t. 22. non contra extraneum spoliatores duntaxat, Menoch. 1. rem. recup. poss. num. 50. verum etiam aduersus ipsum dominum spoliantem, d. c. 1. §. si vero. Borch. c. 9. n. 19. Vult. 2. F. 1. n. 15. Rittershus. d. c. 8. q. 10. Dissent. Zas. in epit. feudal. p. 7. n. 49. & p. 11. n. 23. Mozz. de natur. feud. c. 8. n. 8. Menoch. d. loc. quamuis Rosenth. d. concl. 12. n. 43. cautelae loco suadeat, modeste sine verborum acerbitate vasallum contra dominum hoc interdicto vti debere. [Diss. quoque Struv. c. 11. th. 3. n. 3. & Ludwell. p. 290. Sed cum interdictum vnde vi non infamet, non apparet, cur id denegandum vasallo vide not. ad Diss. XI. th. 4. lit. d. vbi autor contrarium defendit.]

V.

Domino similiter ob quasi possessionem a suam, interdicta retinenda b & recuperanda possessionis c non denegantur: cui etiam ratione domini sui directa rei vindicatio d competit, aduersus extraneum quidem possessorem simpliciter e, contra vasallum vero non aliter, nisi feloniam vel culpa feudum amiserit f.

a) Quae est vsus rei incorporalis, argum. l. 10. in pr. ff. si ser. vind. l. 23. §. item ei, ff. ex quib. caus. mai. l. 3. §. pen. ff. de vi & vi arm. quem dominus ratione vasallagii & fidelitatis, nec non iuris feudalis habet, & idcirco merito ob hanc quasi possessionem interdictis vti potest, arg. pr. Inst. de inter. & l. 1. 2. ff. eod. tit. [Struv. c. 10. th. 2. n. 1. Postius d. c. 19. n. 41. seqq.] ob veram enim possessionem ei nullo possessorio remedio succurritur, quia ea in vasallum est translata, arg. c. 1. qui successor. feud. dar. 1. F. 3. c. 1. §. 1. si de inuestit. feud. cont. fuer. 1. F. 4. c. 1. in fin. de nov. form. fil. 2. F. 2. c. 1. §. vlt. de inuest. de re alien. fact. 2. F. 8. c. 1. §. si facta, si de feud. defun. cont. fu. 2. F. 26. Diss. Duarenus d. c. 19. n. 6. Rosenth. c. 8. concl. 1. n. 5. cum seqq. & Dd. communiter, ciuilem possessionem domino tribuentes, sed minus recte; duo enim in solidum possidere nequeunt, per text. in l. si vt certo, §. fin. ff. commod. l. 3. §. ex contrario. ff. de acqu. vel amitt. poss. l. 19. in pr. ff. de precario, c. licet causam, §. ex prmissis, ext. de probat. Cuiac. lib. 9. obs. c. 32. & Ioan. Borch. in comm. ad r. de acquir. poss. c. 6. n. 18. & seq.



b) Et quidem vtile vti possidetis interdictum, vel aliud simile, vt in th. præced. lit. c. dictum est, aduersus vasallum in quasi possessione iuris sui turbantem, Pet. de Greg. *in tract. de concess. feud. p. 1. qu. 12. circ. fin. & p. 8. qu. 1.* Intrigliol. *q. feud. 19. n. 11. & 12.* per ea quæ tradit Menoch. *3. rem. ret. poss. num. 107. 108. 115. 134. cum aliquot seqq.* & Schneid. *in §. retinenda, de inter. vti possid. n. 19. Inst. de Interd.* aduersus extraneum vero non modo ipsum in perceptione seruitiorum aut debitæ pensionis, vel collectarum solitarum impediens, arg. eorum quæ adducunt Ioan. Borch. *c. 9. num. 27.* Menoch. & Schneid. *dd. ll.* verum etiam contra illum qui vasallum in vera sua possessione turbat, quo ipsum ius, seu quasi possessio, domini periclitatur, nam tunc vel vna cum vasallo hoc remedio experiri potest, vt id in Camer. Imp. frequentissimum esse asserit Rosenth. *d. c. 12. concl. 12. nu. 45.* etiam si spoliator ille dominum recognoscere velit, vide late Rosent. *d. concl. 12. n. 46.* vel si vasallus agere nequeat aut nolit, soli domino succurritur, arg. *l. bona fides, §. incurrit hic, ff. de positi. l. pen. & vlt. ff. de publ. act. l. 1. §. autem, ff. de superfic. Vultei. lib. 2. c. 1. n. 22.* Gail. *d. lib. de pign. c. 6. num. 34.* [Ludwel. *p. 413.*] ita tamen, vt vasallus si cum domino concurrat, domino in interdicendo præferatur, Borch. *c. 9. n. 26.* Vult. *lib. 2. c. 1. n. 22.* [vide supra *th. 3. lit. b.*] Dissent. Dd. comm. domino hæc interdicta ratione ciuiliis possessionis adscribentes, vt videre est apud Ros. *d. loco.* Aliter Boc. *cl. 4. d. 18. th. 17. & 18.* & Rittersh. *d. c. 8. q. 18.* hisce casibus conditione causa data causa non secuta, actione præsc. verb. ex stipulatu, iniuriarum, vel condict. ex morib. domino succurri docentes.

c) Vt vtile interdictum vnde vi, si nimirum dom. deiectus quasi possessione percipiendi annuam præstationem præsertim realem, vt ex traditis Men. *1. rem. ret. posse. n. 87.* proba Bor. *c. 9. n. 27.* & sequitur Rosent. *concl. 10. c. 12. n. 51.* Item ex Canone redintegranda causa 3. qu. 1. contra vasal. homagium denegantem, Men. *rem. 15. recup. poss. n. 200.* Rosenth. *d. loco, n. 42. lit. a & numero 51. lit. m. infin.* Item succurritur domino officio iudicis quod implorare potest, vt compellatur vasallus dominum recognoscere more solito, vt ex Ferr. Montan. *in vsib. F. c. 3. vers. contra vasal. aut.* Men. *rem. vlt. recup. poss. Affict. decis. 395. n. 2.* tradit Rosenth. *d. l. n. 52.* Item remedium vtile ex *l. f. C. de acquir. vel amit. poss.* quod similiter est recuper. possess. Men. *rem. 14. n. 9.* domino datur aduersus tertium, ad quem possessio feudi per negligentiam aut dolum vasalli peruenit, ad reuocandam quasi possessionem a vasallo sibi per dictam negligentiam aut dolum interuersam, arg. *l. pen. quib. mod. vsu fruct. amitt.* Schrad. *part. 2. p. prin. 9. Sect. 9. num. 47.* Rosenth. *c. 9. concl. 100. n. 11.* Rittershus. *d. c. 8. qu. 16.*

d) Seu

d) Seu in eius locum publicana actio, propterea quod in hoc facilius quis obtinere possit quam in illa, Rittershus. *d. loc. qu. 14.* quæ etiam ex communi consuetudine cum ea cumulari potest, *per not. gloss. in §. sed ista, vers. namq. si cui, inst. de act.* vbi Iason. & Schneid. *Oldend. de act. cl. 3. act. 3. loc. 13. ibi: affinia remedia, num. 1.* Rosenth. *c. 9. conclus. 100. n. 7.* Sed hic non incommode quæritur: an etiam præiudicialis actio quæ in rem esse videtur §. *præiudicialis, Instit. de act.* competat domino aduersus eum, quem vasallum suum asserit, conuentus vero negat, se eiusmodi conditionis hominem esse? quod nos cum communi negamus. Schn. *d. §. præiud. Inst. de act. n. 23.* [Consentit Struv. *c. 16. th. 2. n. 6.* & ab eo citati.] Dissent. Rittershus. *d. loc. qu. 15.* qui vtilem præiudicialem actionem domino assignat. secutus Speculatorem, Baldum, & Giphani. quos ibi allegat. [Quorum sententiam recepit, post alios, Ludw. *p. 413.* nec apparet, quare non utilis actio concedenda, cum obligatio feudalis non parum quoq; personam vasalli afficiat.]

e) Quocumque casu ad eum peruenit res feudalis, *c. 1. §. quid sit invest. 2. F. 2. Sonsbec. p. 13. n. 75. vers. cum vero feudum.* Duaren. *c. 19. n. 1.* Cacialup. *obs. feud. 24.* modo vasallus vel nolit & negligat, vel nequeat utili rei vindicatione experiri: *per l. ult. in verb. ne ex aliena. malig. damnnum emergat. C. de acquir. vel. ret. poss. Schneid. p. 1. F. num. 27. & p. 4. n. 61.* Borchol. *c. 9. n. 2.* Rittershus. *c. 8. quest. 16.*

f) Ipso iure, quod dubio caret, *argum. l. si heres, 73. in pr. ff. ad SC. Trebell. Mozz. de feudis, quæ actio oriatur ex feudis.* Schneid. *p. 1. num. 27.* Borchol. *c. 9. n. 21.* Schrad. *p. 9. p. pr. 2. sect. 9. n. 22.* Petrus de Bell. *pert. tit. 14. num. 10.* non vero quando sententia priuatiua opus est. *Mozz. d. loc. n. 9. & n. 11.* Vult, *d. c. 1. n. 19.* Diss. Schneid. Borchol. Petr. de Bellapert. Schrad. *dd. loc. num. 24.* Rosent. *d. c. 12. concl. 13. num. 15.* Venit autem in hanc actionem ipsum feudum in ea quantitate & qualitate, qua vasallus & eius maiores id acceperunt; ideoque si feudo aperto onera per vasallum sunt imposita, ea soluuntur. *c. 1. §. quid ergo, de inuest. de re al. fact. 2. F. 8. Blanch. in sum. feud. libr. 2. c. 1. num. 85. & seqq.* Iacob de S. Georg. *in verbo, ita etiam quod ipsi, n. 10. & in verb. qui quidem inuestiti, n. 64.* Schneid. *p. 4. num. 41. & seqq.* Tiraquell. *de retract. lignag. 2. §. 1. gloss. 13. num. III. & II3. & §. 34. num. 7. & n. 10. & in tract. de retract. conuent. §. 3. gloss. 1. num. 13.* vide quoque Hartm. *Pist. lib. 2. quest. 48. & 49.* Si verò quædam, quæ ei debentur remissa sunt, ea pro nihilo habentur, *per d. c. 1. §. quid ergo. Curt. iun. p. 4. n. 105.* Iacob de Sanct. Georg. *in dicto verb. ita etiam quod ipsi, num. 11. & 12.* modo non
vel

sit mere hereditarium feudum: in hoc enim dominus factum vasalli irri-
 tum reddere nequit. Rosenth. c. 10. concl. 10. n. 35. Si quoque vasalli dolo
 vel lata aut leui culpa aliquid in feudo aperto deterioratum vel damnum
 datum est, id refundi debet, per l. in rebus, ff. de iur. dot. l. 38. in pr. ff. de u-
 sur. & ea quæ tradit Tiraq. de retract. lig. in f. num. 68. & 70. Schrad. p. 9.
 pr. 2. sect. 5. per tot. non vero quando aliquid contigerit in feudo lenissima
 culpa, per l. contractus, ff. de R. I. Schrad. de feud. p. 2. pr. 9. sect. 5. n. 2. & 21.
 Diff. Ioan. Garfias in tr. de expens. & melior. c. 12. n. 54. vel casu fortuito; de
 eo enim nemo regulariter tenetur, l. 18. ff. commodati. l. 6. C. de pign. act.
 l. 1. C. depositi. Schrad. d. sect. 5. n. 22. Exinanitur autem hæc actio, vt & quæ-
 cunque alia, ob feloniam competens, tam quoad civilem, quam naturalem
 obligationem. Schr. p. 2. p. 9. sect. 14. num. 20. per præscriptionem 30 annorum
 Cuiac. lib. 1. F. t. fin. in f. Schrad. d. loc. qu. 67. n. 15. & seqq. Clarus ad § feu-
 dum, q. 42. n. 10. Borch. c. 7. n. 13. & 14. [Struv. c. 15. th. 12. n. 8.] etiamsi feloniam
 ex tali delicto descendat, quod alioquin breuiori temporis spacio circun-
 scribitur, vt est in criminibus publicis, l. 20. C. ad l. Corn. de fals. in adulte-
 rio, l. 29. §. præterea cum seqq. ad L. Iul. de adult. in verbali iniuria, l. si non
 conuicij, C. de iniur. Rosenth. c. 10. concl. 39. n. 40. neque distinguimus, mala
 vel bona fide præscribat vasallus. Schrader. d. loc. n. 18. Ros. d. c. 39. n. 39. & ibi
 in lit. u. [Imo non est in mala fide vasallus, nemo enim se ipsum ad poenam
 offerre debet. Pufend. in Elem. Jurispr. l. 1. d. 12. §. 33. Conf. Disp. nostra de
 bona fide ad præscript. act. necessaria §. 18. quæ habita Basileæ M. Aug. 1692.]
 Quod tamen falit in tertio bona fide & titulo possidente, contra hunc enim
 non nisi intra 10 annos agi potest. Schrad. d. loc. n. 20. etiamsi sciuerit de-
 lictum a vasallo commissum, modo ignorauerit declarationem voluntatis
 domini priuare intendentis. Ros. d. loc. n. 47. & in eo, qui crimen læsæ ma-
 iestatis commisit, hic enim nullo tempore contra fiscum præscriptione se-
 tueri potest. Rosent. d. loc. n. 49. Schrad. d. loc. num. 16. Cæterum currit hæc
 præscriptio contra ignorantem, absentem etiam impeditum, Ros. d. l. nu. 44.
 & minorem, Schrad. d. sect. 14. n. 20. vbi refert dissentientem Socinum iun-
 adeo vt iis restitutio in integrum denegetur, l. 37. ff. de minorib. l. 18. ff. ex
 quib. caus. mai. c. 2. de præscript. lib. 6. Tiraq. de retract. lign. §. 35. gloss. 2. n.
 10. & 11. & Schr. d. loc. modo minor non sit pupillus: huic enim tempus il-
 lud non currit, per ea quæ tradit Ros. c. 6. concl. 41. n. 1. Et non tantum con-
 tra dominum, sed etiam tertium, cui dominus actionem istam cesit. Schr.
 d. loc. n. 20. in fin.

VI.

Pro feudi porro licite alienati reuocatione iure protimiseos *a* domino *b* & vasalli filiis *c*, atque agnatis *d*, conditionem ex lege *e*; iure successionis vero *f* vasalli filiis duntaxat & agnatis *g*, vt & nonnunquam pro feudi amissi *b* recuperatione vtilem rei vindicationem dari *i* non dubitamus.

a) Quod datur viuo alienatore & oblato pretio, per tit. & gloss. in d. c. §. porro, vers. equali pretio. qualiter olim. 2. F. 9. & c. 1. §. Titius filius, si de feud. defunct. cont. 2. F. 26. Tiraq. de retract. lignag. tit. 1. gl. 17. n. 6.

b) Vide supra disp. 10. th. 4. lit. a.

c) Iuxta distinctionem d. disp. 10. th. 4. expositam.

d) proximioribus, c. 1. §. porro qualiter olim. 2. F. 9. c. 1. §. sed etiam res, per quos fiat inuest. 2. F. 3. Cuiac. lib. 2. tit. 4. Myns. 4. obs. 85. n. 6. Hartm. Pist. lib. 2. p. 1. q. 5. n. 16. & 24. vide d. disp. 10. th. 5.

e) per d. c. 1. §. sed etiam res, per quos fiat inuest. 2. F. 3. d. c. 1. §. Titius, si de feud. defunct. cont. fuerit. 2. F. 26. iuncta lege 1. ff. de cond. ex lege. non enim est hæc actio ex contractu: quia nullum negotium filius aut agnatus cum emptore gesserunt: ideoque etiam proprie illa actio ex contractu feudali promanans, de qua supra in th. 2. hic locum habere nequit: multo minus actio huius retractus in rem dici potest: reddito enim pretio a filiis vel agnatis hæc fit reuocatio; daturque conditio tam heredibus quam in heredes, Ros. c. 9. concl. 92. num. 1. modo ea non sit præscriptione perempta, quæ est vnus anni. per dd. tt. Cui. lib. 2. t. 4. & lib. 2. t. 14. Wel. c. 11. inf. Cacc. in obs. feud. 20. n. 2. & 3. And. Gail. 2. obs. 19. n. 10. Myns. 3. obs. 51. n. 3. & seqq. Dissentire videtur gloss. in d. c. 1. §. Titius filios, in verb. per annum, si de feudo defuncti cont. fuerit. 2. F. 26. Clarus in §. feudum, qu. 42. num. 10. Qui in alienatione in extraneum facta præscriptionem 30 annorum desiderat. [vide supra disput. 10. th. 6. lit. d.] Hoc autem annum tempus computetur a die scientiæ, quo celebratus est contractus, nec ignorantia currit. Hartm. Pist. p. 1. lib. 2. qu. 12. n. 25. & seqq. Schrad. p. 8. c. 7. n. 44. nisi 30 annis excludatur. Ros. c. 9. concl. 94.

f) Idque competit vi inuestituræ primæ a facultate succedendi dependens. Vult. lib. 1. c. 11. num. 82. ideoque defuncto demum alienante sine refusione pretii illo vti licet. Ros. c. 9. concl. 39.

g) Sicut disp. 10. distincte explicatum est, vbi videri potest.

Tt

h)Se-



h) Secundum ea quæ dicta sunt in disp. 12.

i) *argum. c. vn. si vnus ex fratrib. ded. suam p. 2. F. 83. Ros. c. 9. conclus. 100. n. 9.* ex cuius sententia & publicianam actionem intentari, & cum hac cumulari posse, supra admonuimus. [Struuius Actionem Reuocatoriam concedit *c. 13. th. 17.* vbi tamen addit, eam nihil aliud quam vindicationem feudi esse. Citans Hammel. *tr. de Action. c. 17. n. vlt.* quod ibi formulam libelli actionis reuocatoriæ exhibuerit.] Præscribitur autem huic actioni oblicitam alienationem competenti, siue in remotiorem agnatum alienatio facta sit. Hart. *Pist. lib. 2. qu. 8. n. 31. & seqq.* Vult. *1. F. 11. n. 108.* Fachin. *7. controu. iur. II.* Diss. Dd. communiter, quos magno numero recenset & sequitur Rosent. *c. 9. concl. 95.* siue in extraneum, 30 annis; quod tempus loco succedendi aperto currere incipit. Rosenth. *d. concl. 95. n. 3.* vbi refert dissent. Roland. a Vall. *conf. 57. n. 64. vol. 3.* Schurf. *cent. 2. conf. 100. vers. non obstat.* existimantes præscriptionem a tempore alienationis currere; aliter dissent. alii qui de agnatis, non vero filiis illud exaudiunt. Cæterum feudo illicite alienato, dominus illud reuocare volens ne quidem 30 aut 40 annorum præscriptione excluditur *c. 1. §. præterea, de capit. Corradi 2. F. 40. c. imperialem, vers. Nos autem de prob. alien. per Frid. Vult. 1. F. 9. num. 20. Sonsb. p. 12. n. 156. & seqq.* Rosenth. *c. 9. qu. 97. n. 37.* [Hoc ita si Dominus feudum alienatum reuocet quoad dominium directum, sic enim ipsi non nocet præscriptio, nocet tamen quoad dominium vtile *c. porro 2. F. 9.* si possessor sit in bona fide. Quæ etiam sententia est Vultei & Rosenthalii. *conf. Struu. c. 13. th. 10. n. 4.*] Diss. Borch. *de feud. c. 7. n. 12. & seqq.* Wesen. *c. 11. n. 14.* Gail *2. obs. 160. n. 1. & 2.* Wurmser. *in pract. obs. tit. de feud. 50. observ. 13.*

VII.

Ratione denique feudi culpa amisit *a*, præter dictas rei vindicationes *b*, conditionem quoque ex moribus *c*, & causa data causa non secuta *d* actionem ex stipulatu *e*, iniuriarum & similes *f* dati haud est absolum.

a) Siue illud ipso iure, siue per sententiam, in commissum cadat, *arg. l. in rebus, C. de iur. dot. iunct. c. 1. si vasallus feudo priuetur, 2. F. 31. & c. 1. quo tempore miles, 1. Feud. 22.* Oldendorp. *cl. 5. post. act. 17. loc. 5.*

b) De quibus in thesi 3. & thesi 5. in fin.

c) Mores enim feudales hoc flagitant, vt vasallus qui feloniam committit, in feudo legitime priuari debeat, *c. vn. qualiter dominus, 2. Feud. 47. c. 1. ibi:*

c.1. ibi: secundum mores curiarum, & ibi bonis curiarum consuetudinibus in quibus causis feudum amittatur, 2. F. 43. c.1. §. denique. Quae fuit prima causa. 2. F. 24. Wesenb. c. 17. num. 8. Mozz. rubr. quae actio oriat. n. 10. & seqq. Schrad. p. 2. part. princ. 9. n. 33. qui tamen hanc conditionem ex contractu feudali oriri existimant, ut videre est apud Ros. c. 12. conclus. 13. num. 1. quod nos minime concedendum putamus. Datur autem hæc actio ex delicto descendens, Oldend. post d. class. 5. act. 17. loc. 2. tam beneficiario, contra dominum delinquentem & proprietatem amittentem, quam huic aduersus vassallum ex causis quibus feudum illi aperitur, Oldend. de act. benef. l. 5. Ros. d. concl. 13. n. 3. & 46. vtrinque directo, Schrad. p. 2. part. pr. 9. sect. 9. n. 34. non vero contra tertium possessorem. Diss. Tiraq. de retract. lignag. §. 8. gloss. 5. n. 8. Schrad. d. sect. 9. n. 35. Estque siue ad priuandum, siue ad feudum amissum declarandum agitur, civilis, non criminalis, Ias. in rubr. C. de iud. Mar. in spec. suo aur. p. 4. dist. 1. Schr. p. 2. part. pr. 9. sect. 12. n. 2. neq; etiam famosa Old. de act. benef. loc. 11. Schr. d. loc. n. 3. licet sit poenalis, Sonsbec. p. 12. n. 32. in fin. Wesenb. c. 15. n. 10. Ferr. Montan. libr. 4. c. 4. in fin. Nam ea efficitur, ut præuia sententia priuatiua vel declaratoria ante traditionem vassallus ob denegatam fidelitatis præstationem, seu aliam feloniam commissam ius sibi per inuestituram acquisitum amittat, & chyrographum ei desuper impertitum restituat, Iacob. de S. Georg. in verb. dictiq; vassalli, prout recup. n. 57. Rosenth. d. c. 12. conclus. 11. num. 35. Dominus vero rem ad cuius possessionem tradendam ex contractu feudali obligatus est, postea vero propter traditionis denegationem amisit, cum omni dominio & habita ratione fructuum, tam perceptorum quam percipiendorum a tempore amissionis dimittat vassallo, Ioan. Blanch. libr. 1. F. c. 3. num. 49. Schrad. p. 5. c. 2. n. 13. facta vero traditione, hic ob dictas causas proprietate feudi careat, ille vero ipsum feudum restituat, c. 1. quib. mod. feud. amitt. 1. F. 5. c. 1. feud. sine culp. non amitt. 2. F. 23. c. 1. in quibus causis feudum amitt. 2. F. 24. c. 1. An ille qui interfecerit, 2. F. 3. c. 1. §. 1. de lege Corradi, 2. F. 34. Duar. c. 18. num. 3. ideoque in heredes non transit. §. Non autem omnes, Instit. de perp. & temp. act. & ibi Mynsing. & Wesemb. l. pen. ff. ne quis eum, qui in ius voc. l. 1. §. ff. de eo per quem fact. facit l. sancimus, C. de poen. l. crimen, ff. cod. Rosent. c. 10. concl. 40. num. 1. & ibi plures, nisi de suo etiam delicto heres conueniatur, arg. l. toties, l. quoties, de reg. iur. vel lis contestata cum defuncto fuerit, nam tunc omnia poenalia fiunt perpetua, & in heredes transitoria, l. poenalia. de reg. iur. l. iniuriarum, 28. de iniur. Schrad. part. 2. p. pr. 9. sect. 11. qu. 43. Rosenth. d. conclus. 40. n. 37. Heredibus tamen hæc actio non videtur



deneganda §. 1. *Inst. de perp. & temp. act.* licet in hoc posteriori dissent. Dd. communiter *gloss. in c. 1. §. 1. quibus modis feud. amitt.* Curt. iun. p. 4. n. 156. Clarus in §. *feud. quest. 64.* Schrad. *part. 2. p. pr. 9. sect. 10. num. 5.* Borch. *de F. c. 8. nu. 154.* Hartm. *Pist. lib. 1. qu. iur. feud. 35. n. 23.* & *fere per tot.* Mynsinger *cent. 3. obs. 97. n. 3.* Wesenb. *c. 15. num. 10.* Rosenth. *c. 10. conclus. 40. in princ.* [Struv. *c. 15. th. 12. n. 2.*] nostram tamen sententiam ita restringimus, nisi dominus vel vasallus expresse vel tacite, vel dissimulando scienter culpam remiserint, aut querelam non fecerint, Vult. *lib. 1. c. 11. n. 61. & 62.* [Hoc vero contingit, si Dominus sciuerit feloniam, & antequam de culpa conquestus mortuus fuerit. Tum ergo defendi potest sententia Autoris, si dominus ignorans culpam decesserit.] nam feloniam semel remissa postea non potest ad priuationem agi. Rosenth. *c. 10. concl. 39. n. 20.* Hic demum cautelæ loco non est omittendum ex sensu Rosenth. *c. 12. concl. 13. n. 10.* quod in dubio casu, ubi certo non constat, an ipso iure amissum sit feudum, petitio alternatiue sit concipienda, eiusmodi enim petitionem in casu dubio admitti, post Menoch. *lib. 2. presump. 41. n. 6.* Myns. *cent. 4. obs. 11.* Gail. *1. obs. 62. n. 4.* & hodie libellis omnibus a peritis causarum patronis inseri, testatur Ros. *d. concl. 13. n. 6. 7. & seqq.*

d) Domino petenti seruitia aduersus vasallum ea denegantur, quæ similiter ad repetendum feudum agitur, *c. 1. de feud. sine culpa non amittend. 2. F. 21.* & hanc conditionem interp. etiam quando alia culpa seu feloniam feudum est, dari autumant. Duaren. *c. 19. n. 22.* Rosenth. *c. 10. concl. 40. n. 26. & seqq.* quod sane cum ratione iuris minime congruere videtur, tum quod hæc conditio principaliter non detur ob causam, ex qua constitutum est feudum, tum quod dominus rem suam condicere non possit, nisi hoc odio vasallorum perfidorum, aut ingratorum, ut hi pluribus actionibus teneantur iure feudali, quod magis consuetudine quam ratione nititur, ut ait Vaud. *per c. 1. §. filii nati, si de feud. def. cont. fu. 2. F. 26. lib. 1. qu. 9. in fin.* receptum esse dicamus cum, Ritterh. *d. lib. 2. c. 8. qu. 14.* Plures conditiones ad petendum feudum ob feloniam amissum in fauorem domini hic cumulant Interpp. conditionem scilicet triticiariam, condicet. ex lege *si quis actiones 24. C. de loc. & cond.* sine causa, indebiti, actionem præscriptis verbis, act. in factum, &c. quas enumerant Iacob. de Beluifo, Aluarot. *in c. 1. §. sed nec est alia, quæ fuerit prim. caus. benef. amit.* Schrad. *part. 2. part. pr. 9. sect. 9. n. 37. & seqq.* Rosent. *c. 12. concl. 13. n. 23. & seqq.* quæ tamen singulæ an satis appropriate hoc casu domino tribuantur, in medio relinquimus.

e) si ni-


e) Si nimirum stipulatione inter vasallum & dominum conuentum sit, vt feudi ius ob certa quædam delicta aliasue causas amitti vel finiri debeat. Pet. de Bellapert. l. 14. n. 12. Schrad. part. 2. part. pr. 9. n. 49. Rosenth. c. 12. conclus. 13. Quibus tamen, quatenus actionem præscriptis verbis hoc casu competere tradunt, minime assentiendum putamus.

f) Vt actiones damni dati, furti, & similes, si videlicet delictum domini vel vasalli tale est, vt in modo dicta crimina incidat, tunc enim a domino læso, vt vice versa a vasallo contra dominum delinquentem illæ simul intentari possunt, neque vna per alteram eliditur. Schrad. 2. part. pr. 9. sect. 6. num. 42. & seqq. siue magnum fuerit illud feudum, siue vile, Rosent. d. c. 12. concl. 13. num. 47. vbi vide diss. Mol. quia descendunt hæ actiones, vt diuersæ ex diuersis obligationibus, quo casu altera alterius electione non tollitur, per l. si adulterium cum incestu, 38. §. 1. ad l. Iul. de adult. & l. 1. §. in tutela. ff. de rat. dist. Cæterum circa has actiones, quibus ad feudi priuationem agitur, notandum, quod plures amissionis causæ in iis coniungi possint, vt ex pact. Ferrar. in form. libelli qua agitur ad reuocationem feudi, tradit Rosenth. d. c. 12. concl. 13. num. 46. & requiratur vt tempus & locus commissæ felonix exprimatur, per l. prator edixit, 7. ff. de iniur. & fam. lib. & l. item exigit, 6. ff. de do. & ea quæ tradit Menoch. rem. 1. recup. poss. n. 430. & Mar. in spec. aur. 1. p. dist. 1. num. 38. idque indistincte, siue in Cam. Imp. vel alio inferiori iudicio hæ causæ ventilentur, etiamsi in iis summarie procedatur. Ros. d. c. 12. concl. 13. n. 13. & n. 53. & seqq. Diss. Ferr. in form. lib. qua agitur ad priuat. feud. id expresse negans. Aliter Schrad. p. 9. part. pr. 2. sect. 12. n. 45. 6. qui in actione instituta ob feloniam, quæ infamiam facti vel iuris importat, illud tantummodo requirit: Cessat autem hoc in eo casu, quo feloniam habet successuum tractum, aut est negatiua. Schrad. d. sect. 12. n. 5.


Coronidis loco hic & illud monebimus, vtrum quandoque vasallus vel dominus prætermisissis actionibus, aliisue legitimis remediis ad arma conuolare, & deprædationis beneficio ius suum impune promouere queant? Affirmatiuam tueri videtur Obertus in c. 1. de milite vasall. qui contumax, in fin. 2. F. 22. Schon. disp. feud. 8. th. 60. Verum abhorrent ab hoc saluberrimæ moderni nostri imperii constitutiones, vtpote quibus iudicia illa, quæ *Selbgericht* nostri appellitant, tanquam pestes pacis publicæ perniciosissimæ, admodum inuisa sunt, *Reichsabschied* de anno 1495. 1500. 1522. 1555. 1557. 1559. 1566. 1570. & 1576. in quibus habetur firmisimum illud pacis publicæ vallum. Magis itaque est, vt grauati recta superiorem adeant, agantque remedio, quo ipsis ius & iustitia administretur. Siquidem ideo iudicio-



diciorum vigor iurisq; publici tutela videtur in medio constituta, vt propositis actionibus quisque ius suum consequatur, nec sibi ipsi permittere ultionem valeat, *l. nullus tanquam iudeus, 14. C. de iud. & caliculis, l. non est singularis, cum ibi notat. de R.I. l. vn. C. ne quis in sua causa iudicet.* And. Knich. *de vestitur. paction. p. 2. c. 5. n. 275.* Rittershus. *lib. 2. c. 8. qu. 12. & qu. 15. in fin.* Rosenthal. *c. 10. concl. 41.* Quod procedere existimamus, licet dominus feudi simul sit domus loci, & plenissimam ac omnimodam in loco vbi feudum situm est, iurisdictionem habeat, cum non solum intuitu controuersiae in feudo obortae instar priuati habeatur, & vasallo suo talionem debeat; sed & constitutio de pace publica generaliter scripta omnes omnium qualitatum personas, tam illustres quam priuatas, comprehendat, & imprimis contra potentiores promulgata sit, qui per potentiam & facultates alteri vi armata nocere possunt. And. Gail. *lib. 1. de pac. publ. c. 1.* Atque hinc inordinatos eiusmodi processus ducum, aliorumue magnatum Cameram Imperialem aliquoties per mandata, & alia legitima remedia cassasse, refert Rosent. *d. concl. 41. n. 9.* De vsu tamen contrario in Cathalonia vel Hispania recepto, quo vasalli domino iustitiam non facienti guerram facere solent, attestatur Isernia, prout eum allegat Knich. *d. c. 5. n. 284.*







Halle, Diss., 1698 J.S. Stryk

ULB Halle 3
002 275 21X


f

sb.

WDA







1698 13¹³

s.
ANTONII, IC.
DALIS XIII

NIBVS
M COM-
BVS,

ure Publico,
tris Dn. de RHEZ
DERICIANA,

TRYKIO
l. Ordinario,

C XCIIX
cæ submittit
LPH BÖHM,

GICAE,
EITLERI, AC, TYP.

